

burg  
1718









682 Pos.  
1675, 1.  
6/

TRIBUNAL PRINCIPIS  
PEREGRINANTIS,

*Sive*

Ex Illustris Facti specie  
Disputata Juris Quaestio:

*An absolute Majestatis character*

*Possessori suo etiam in alieno Territorio  
liberum Jurisdictionis in suos exercitium  
praestet?*

Cujus in sequenti Schemate explicatam.  
Affirmativam

*(Quod bene vertat.)*

Sub PRÆSIDIO

DN. IOHANNIS TESMARI,

in alma Cattorum Antecessoris,

*Pro virili tuebitur*

JOHANNES ALERS,

BREMENSIS, A.

*Ad d. XXIII. Januarii, h. lg. consuetis.*



MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.  
Anno M.DC.LXXV.



ILLUSTRISSIMO ET GENERO-  
SISSIMO DOMINO,  
DOMINO

IOHANNI DIETERICO,  
LIBERO BARONI DE KUNO-  
WITZ, DOMINO IN OSTR  
HLUCK ET LAUKA &c.

SERENISS. DOMVS HASSO-CASSELLANÆ  
CONSILIARIO SANCTIORI  
ET  
REGIMINIS PRINCIPALIS  
PRÆSIDI,

DOMINO SVO ET MECENATI GRATIOSISS.

JOHANNES ALERS.



*Adet tandem, Illustrissime Domi-  
ne, subtrepidus aliquandiu animus  
concupere fiduciam spei suæ, & im-  
punitam sibi polliceri licentiam ex-  
osculandi hoc qualicunq; scripto manus Tuas  
pro Gloria Principis & salute Populi occupa-  
tissimas. Indignabunda quidem graviorisq; in-  
juria reum me peractura publica vereor com-  
moda,*



606.  
moda, utpote, quæ nullas Tibi à se tractandis  
concedunt ferias, & exigua quoq; interpellatio-  
nis moram agerrimè ferunt. Verùm ut ut ita se  
res habeat, & vix cui absq; pedissequo crimine  
alloqui Tui honos contingere possit, momenta-  
nea tamen peccantem excusabit brevitatis, & ve-  
niam conciliabit voto meo, ad cuius implemen-  
tum perfunctorius gratiosi oculi aspectus suffi-  
cit. Neq; enim eò temeritatis procedere animus  
est, ut conceptibus meis lectionis Tuæ merito  
blandiar; Quin potius hoc ago, tum ut reveren-  
tia Nominis Tui argumenti dignitatem au-  
geat, factiq; Regii Examen sub arduo tanti  
Herois patrocínio divulgetur: tum ut devo-  
ta mea gratitudinis possibili testimonio venerer  
singularem illam humanitatem, quâ publicè  
in favorem patriæ meæ, quâ in mei meorumq;  
gratiosam benevolentiam privatim propendes.  
Faxit Deus quod voveo, & è Republica non  
Hassie solum, sed humani quodammodo gene-  
ris esse existimo, ut inauditum longæva felicitatis  
exemplum in Capite Tuo præsens ætas ob-  
servando gaudeat, posteri mirentur.

LECTO-



LECTORI S.

**A**Ntequam à frontispicio ad interiorem schematis structu-  
ram progrediaris, consilii mei rationem verbo cape, be-  
nevole & erudite Lector. Rupis nuper silentium meum & pri-  
vatis inclusa parietibus studia in lucem prodire amicorum suasit  
auctoritas, imperium iussit illius, cui vitam debeo & cultum  
Divino proximum; nec quicquam contranitentibus vel vere-  
cundiâ aetatis meae, vel timidi & necessaria suppellectile destituit  
conscientiâ ingenii. Vicit nimirum omnes huiusmodi scrupu-  
los una ac sola parendi necessitas, nec ullam mihi, praterquam  
de Exercitii themate, liberam deliberandi potestatem reliquit.  
Hæsi & hic deinceps inter multas tam privati quàm publici iu-  
ris materias aliquantisper dubius elector; donec in notabile hoc  
illustri Regina factum, suggerente historiam Praside meo, Vi-  
ro exactioris Literatura peritissimo, inciderem, eodemq; autho-  
re consilium de examinanda Eius justitia caperem. Cepi &  
suscepi, sed impar humeris meis onus, quandoquidem magna  
(quale certè, si quicquam, ferendum de Regibus iudicium est)  
non nisi magnos decent. Interim samen diffiteri nequeo, malle  
me, cum quid necessario dici debet, de magnis rebus balbutire,  
quàm de minimis & vulgi sensum vix excedentibus tædiosâ fa-  
cundiâ disserere. Hæc sunt, quæ te premonitum volui, Lector.  
Tuum nunc erit vel benevolo applausu vel eruditâ censurâ Ex-  
spectati mi meae occurrere. Quod si quid digni operâ præstitisse  
iudicabor, habeo de quo mihi gratuler; Si nihil, nihilominus  
lætus ero, & fortunati successus frustraneam spem honesti cona-  
tus gloriâ solabor. Vtut enim illa deserere in tam sublimi pro-  
posito & ætate & iudicio minorennem facile potuit, hæc tamen  
de sui apud omnes bonos favore non dubitat, malorum conte-  
mptus iudicia, quibus displicere boni argumentum est. Vale.





*Quod bene vertat!*



T R I B U N A L P R I N C I P I S  
P E R E G R I N A N T I S  
nescio an illustrioris Exempli præjudi- *Præparatio.*  
cio robur suum ac firmitudinem de-  
beat, quàm quo non ita pridem M A-  
X I M I N O M I N I S R E G I N A suspensum ad-  
mirabundi orbis iudicium, & divisas æmulan-  
tium ingeniorum sententias provocavit. Nimi-  
rum uti usu venire solet circa actiones eorum,  
qui in excelsis vitam agunt, & famæ neque bona  
ipsorum neque mala in obscuro patientis sollicito  
satellitio ab omni latere stipantur. Præsertim ve-  
rò, si egregium quoddam & communis styli me-  
tam excedens facinus emergat, quid frequentius  
est, quàm tumultuantes illinc probantium, hinc  
improbantium audiri voces, mixtimque cum aper-  
tis benevolorum laudibus, malevolorum opertas &  
in authorum securitatem imposititium Vlyssis no-  
men præ se ferentes spargi satyras. Dum enim non  
audent petulantes calami seriò se iis opponere, qui  
A ulto-



ultore ferro respondere solent, perniciosè ludendo in eos sæviunt, & contemptissimo contemptus genere proximos Deo homines perfidè; ne dicam, quod dictu indignissimum est, sæpiùs impune lacessunt. Nos sicuti ex animo detestamur ignobile illud otium, quod in calumniosis principum censuris occupatur, quibus vel ob solam Nominis dignitatem verborum humanitas & verecundi oris reverentia debetur; ita nec alteram illam quamvis honestiorem semitam calcare nostri in præsentia est propositi. Quin regiam (regia enim est controversia) eamque affectibus vacuum ibimus viam, & quod intentioni nostræ sufficit, simplicissimam veritatis & Justitiæ investigationem moliemur.

Veritatem docemur à Teste oculato, qui executioni ipse interfuit, adeoque majorem quam decem auriti fidem meretur, cujus insuper præsumptionem accuratissima minimarum quoque circumstantiarum (in magnis rebus, Cambdeno authore, per necessaria) observatio nobis confirmat. *Belum se vocat, & ordinis de la Sainte Trinité du Convent de Fontainebleau ministrum primarium profitetur, exstatq; ejus octo pagellarum relatio in libello Gallico, cui titulus est: Recueil de diverses pieces curieuses pour servir à l'histoire imprimé à Cologne 1664. Remittimus eo Lectorem prolixioris histo-*



008.

historiæ cupidum; nos enim redacto illo octo pagellarum opere in totidem penè verborum compendium, Juris negotium extremis ibidem digitis vix tactum (temeritatis veniam iterum iterumq; stipulati) latiori nonnihil explicatione persequemur. Esto igitur hæc Facti species:

*Regina\*\* postquam se regno abdicarat, hospitali Regis \* palatio excepta, ibidem suum è domesticis stabuli præfectum facta criminum exprobratione per Deputatos clam interemit.* Facti species.

Factum hoc est infectumq; fieri nequit; hinc omnis quæ de hac materia instituitur disputatio, sterilis & frustranea videri posset in Principum actionibus ultra sensum nihil videnti. At verò correctius judicant, qui in altissimæ fortunæ hominibus, quorum splendor facit, ut peccare sine summo Reipubl. detrimento & periculo non possint, præter facti impunitatem, exempli quoque, (quod si malum, ipso peccato periculosius est) requirunt innocentiam. Proinde utut sileat Rex cujus principale præjudiciū hic vertitur, & vel tacendo in factum consensisse, vel dissimulando dissensum texisse dicatur, humani tamen generis interest, ut Reginam non minùs justè quàm impune hoc facinus clam perpetrasse palam omnibus constet. Vulnus causæ & desperatum

A 2 tum





tum quod objicitur remedium consilium quidem, non verò judicium super re aliqua frustratur, multò minùs nobis obstat, qui non rei in integrum restituendæ, sed exempli illinc emergentis sanitati manum porrigimus.

Experiundum itaq; judicio est, & movenda Reginae controversia. Coràm fama liberrima Principum Judice litigandum, utpote à qua sibi imprimis prospiciendum illi, qui aliud quodvis mundi tribunal respuunt, & cavendum habent, ne quid faciant, cui illam velint ignoscere. Habet quod clandestino Domestici supplicio ex capite non competentis in alterius territorio jurisdictionis violatæ Majestatis procurator objiciat. Idem enim illud re adhuc integra præmemoratus Relationis author, ceu impetrandæ gratiæ, cujus orator missus erat, maximè idoneum post precum repulsam remedium dextrè satis & masculè urfit. Operæ pretium videtur, disputationem istam, cùm principale controversiæ fundamentum, & Regiæ defensionis sacrum in se contineat, ipsissimis in nativa sua elegantia relictis verbis Lectori exhibere. *Voyant, inquit, que je ne pouvois rien gagner par mes prieres sur l'esprit de cette Reyne, je pris la liberté de luy représenter, qu'elle estoit dans la maison du Roy, & qu'elle prit bien garde à ce qu'elle alloit faire executer, & si le Royle*  
trou-





trouveroit bon; Sur quoy sa Majesté me fit reponse,  
 qu'elle avoit cette justice aupres de l'autel, & qu'elle  
 prenoit Dieu à tesmoin, si elle en vouloit à la per-  
 sonne de ce Domestique, & si elle n'avoit pas déposé  
 toute haine, ne s'en prenant, qu'à son crime & à  
 sa trahison, qui n'auroient jamais de pareil, & qui  
 touchoit tout le monde: outre que le Royne la logeoit  
 pas dans sa maison comme captive refugiée, qu'elle  
 estoit Maistresse de ses volontez pour rendre &  
 faire justice à ses domestiques en tous lieux & en  
 tout temps, & qu'elle ne devoit repondre de ses a-  
 ctions qu'à Dieu seul. & paulo post: Je supplie tres-  
 humblement V. M. d'eviter, que cette action (quoy  
 qu'à l'égard de V. M. Madame, elle soit de ju-  
 stice) ne passe neantmoins dans l'esprit des hommes  
 pour violente & pour precipitée; faites encore plu-  
 tost un acte genereux & de misericorde envers ce  
 pauvre homme; ou du moins mettez le entre les mains  
 de la justice du Roy, & luy faites faire son procez  
 dans ses formes: vous en aurez toute la satisfaction,  
 & conserverez Madame, par ce moyen le tiltre  
 d'admirable, que vous portez en toutes vos actions  
 parmy tous les hommes, Quoy, mon pere, me dit  
 cette Reyne, moy en qui doit resider la justice abso-  
 lue & souveraine sur mes sujets me voir reduitte à  
 solliciter contre un Traistre domestique, dont les



preuves de son crime & de sa perfidie sont en ma-  
puissance escrits & signez de sa propre main. Non  
non, mon pere, & quæ sequuntur.

Ecce quàm confidenter de justitia causæ suæ glo-  
rietur Regina, quàm fortiter absolutæ Majestatis  
characterem ceu clypeum impenetrabilem quibus-  
vis objiciat objectionibus. Itane verò se res habet?  
Liceat hoc pace Reginae quærere; liceat, ubi ille  
metu dubium an Reginae impatientiâ victus substi-  
tit, continuare litem à Jove ejusque fulmine remo-  
tioribus. Videndum erit, an liberum veritatis exa-  
men sustineat Regia hypothesis, & quibus funda-  
mentis, quo jure dicatur:

*Juris questio  
I. Generalis  
câque Prin-  
cipalis  
Disputanda*

*Absoluta Majestatis characterem Possessori  
suo etiam in alieno Territorio liberum Juris-  
dictionis in suos exercitium prestare.*

Hic Rhodus, hîc salta; in hoc juris articulo totius  
negotii cardo vertitur, quo evictò inconcussum sta-  
bit peregrinantis Principis Tribunal, deq; Ejus af-  
ferti gloria jure merito sibi Regina partem non mi-  
nimam vindicabit.

*non ex  
Recentiori  
Politico-  
rum  
jure;*

Profectò si ex Recentiorum politicorum statutis  
quæstio decidenda esset, penes affirmativam senten-  
tiam indisputabilis staret victoria & triumphus.  
Dum enim illi in statûs materia necessitatem sese  
conservandi quavis occasione pro mandato acci-  
piunt



210.

piunt *l'histoir de Henry IV. tom. 2. l. 6. p. 555.* non distinguunt, quo in loco quove modo patretur cædes, dummodo Principis hoc ipso autoritas conservetur. Felicissime in artis hujus exercitio versantur Hispani, qui nulli ferro, nulli veneno parcunt in subruendis illis personis, à quibus infamiam aliâq; incommoda timent. Patefacta ministri Villa regis proditione Hispani Legato suo scripserunt Parisios, ut poculum silentii daret huic proditori, ne quid effutiret v. *Tom. 2. de l'histoir de Henr. IV.* & Boccalinus Venetiis clam per eosdem interemptus sanguine tuo satyram eluit. Remmius in hac arte eruditissimus, ut est apud *Tacit. 2. Annal. c. 68,* custodiæ regis Vononis appositus, profugum illum quasi per iram gladio transegit, unde major fides conscientia sceleris, & metu indicii mortem Vononi illatam. Primum Juris Naturalis fundamentum, *docente Hobbio in Elem. de Civ. c. 1. art. 7.* est, ut quisque vitam & membra sua quantum potest tueatur, ideo quisque jus habet utendi omnibus mediis & agendi omnem actionem, sine qua conservare se non potest, cum jus ad finem det jus ad media necessaria. *art. 8. vid. et. c. 6. art. 3.*

Horum authorum calculis triumphum ager Regina, quem tamen Nos illi ex hoc capite non decernemus. Maneat equidem novitio huic juri (modò  
jus



jus dicendum est, quod inter bonum & malum, justum & injustum, fas & nefas nullum subinde discrimen agnoscit) sua per nos in controversa auctoritas, suus valor, dummodò nobis liceat ex puriori fonte aquæ rivulos in nostrum agrum ducere.

Sunt nobis in promptu duo probatoris fidei Jura, ex quorum responsis omnium quæ in mundo oriri possunt controversiarum decissionem nemo frustra expectaverit. Alterum privatum & Civitatis Romanæ proprium; alterum publicum, quod partim ratio naturalis, partim plurimarum gentium vel tacitus vel expressus consensus introduxit. Vtriusque fori fores pulsabimus, & quod alterutra, si non utraque consulentibus cortina responderit, id nobis definitivæ sententiæ instar erit.

*nec ex  
jure Civili:*

Sedet pro Tribunali adeundus primùm Romanorum prætor, sed consultus altissimo respondet silentio. Cur? nisi quia nihil in edicto suo invenit, quo vel affirmantium vel negantium castris possit ferre suppetias. Terretur quippe non in vanum absolutæ Majestatis Augusto occursum, & quamvis videri posset favere negantibus prius l. 5. D. de Jurisd. membrum, quod extra territorium jus dicentem inobedienciæ impunitate irridet, veretur tamen Majestatem hoc bruto ferire fulmine Prætor, ne scil. per posteriora legis verba magis ipse ridiculus appareat  
supra



supra Jurisdictionem jus dicendo ; & culpæ obno-  
 xius per l. 36. d. R. I. immiscendo se rei ad se non per-  
 tinenti. Et sanè non pertinet vel hæc vel ulla alia ab-  
 solutas potestates concernens actio ad Prætoris tria  
 verba, quæ in privatos tantum, eosque Reipubl. Ro-  
 manæ servos concepta impune à quibuscunque ex-  
 tra curtem Romanam, extra terrorem fascium natis  
 absque cura parendi audiuntur. Senferint, (*Floro  
 credimus*) imperii magnitudinem exteræ quoque  
 & invictæ bello nationes, victorisque gentium po-  
 puli majestatem comiter observaverint ; Incivile  
 tamen semper visum fuit æternæ illius & mundi  
 Dominæ Urbis magnatibus cum terrore imperii  
 sui, cum lictore & fascibus liberas civitates obire,  
*uti Germanici exemplum apud Sueton. in vita Ca-  
 ligulæ c. 3. clarè satis evincit.* Ita quoque suffecerit  
 ad laudem, ad majestatem juris nostri magnifieri  
 ejus justitiam, & in decidendis civium controver-  
 siis æquitatem provocasse circumfugarum undiq;  
 gentium imitationem ; adeò ut & jurati hostis, (*si  
 vera sunt, quæ de Turcis Leunclavius prodit*) bar-  
 baries leges nostras linguâ suâ loquentes legat. In-  
 civile tamen existimaverit Civile jus, iis arbitrium  
 obtrudere, quos nulla sui communiõ tenet, quales  
 sunt (*ut magni illius de J. B. & P. Commentatoris  
 initialia verba mea faciam*) & qui in gentem non-  
 B dum



dum coierunt, & qui inter se diversarum sunt gentium, tum privati, tum Reges ipsi, quique par regibus jus obtinent, sive illi optimates, sive populi liberi sint. Intelligent hoc inepti Juris interpretes, quidum causas, quæ personas imperantium ipsamve immediatè Rempublicam concernunt, privati Juris decempedâ indistinctè metiuntur; mirum quàm sudent in manifestanda turpitudine sua & supina professi juris ignorantia; quandoquidem parum esse *Imperiali voce S. ult. de Jure N. G. §. C.* docemur jus nosse, si personæ, quarum causâ constitutum est, ignorentur. Nunc ad rem, si hæc extra. Nihil Regina sibi à Præatore auxilii promittendum, nihil itidem ab objecta lege periculi metuendum habet, quæ in Romanis solummodo magistratibus extravagandi licentiam frænât, nec qua talis in hoc Majestatis negotio vel potest vel debet attendi.

Sed ex  
*Jure Gentium.*

Quin ergo linquimus forum incompetens, & pergimus ad Gentes, harumq; non minùs quàm sui Juris æquissimam præsidem rationalem Naturam consulimus. Ab hujus effato pendeat fatum regis causæ, & tribunalis nostri vel soliditas, vel ruina expectanda est. Nulla datur ab hac Dictatura provocatio, nullum hic nisi in cura parendi auxilium. Frustra reges ostentant characterem suum coram Natura, quæ ex æquo omnes intuetur homines, in  
cujus



cujus regno idem, qui homo, privatus est. Agnoscit quidem illa & tuetur disparem, quæ cum Civitatum origine nata est, principum ac subditorum conditionem, in quantum videlicet æquali suo in omnes imperio ea non præjudicat: alioquin nulla hic personalis prærogativa locum habet, nisi forte qualis in Civili Jure præ plebe nobilium est, qui tamen æquè ac illi sub promiscua privatorum appellatione ibidem continentur.

Ades dum ergo Regina, ades dum ad bonæ spei caput, rationibusque quas Natura & communis Gentium probat consensus, affirmativam causæ decisionem impediens dubium tolle, ut asseruisse dicare non minus certo jure quam audaci facto Tribunal Principis peregrinantis.

Offendimus ecce! in eundem quem de Jure Civili rejecimus lapidem, in Jure Gentium, cui angularis est, non tam facile removendum. Scilicet efficacior civili naturalis est ratio, & sæpius contingit, arg. istius Terentiani, ut duo cum dicunt idem, non fit idem, non quod diversa res est, sed is qui dicit. Licet Regibus facere quod Prætor, non item quod Natura & consensus populorum improbat. Evolve publicas quarumcunque gentium tabulas, vix regem invenies, vix populum in suo territorio alienæ jurisdictionis patientem. Nec hoc pati quenquam

per Rationes  
Dubitandi:



patitur sollicita sui conservatrix regnorum natura,  
 quæ boni ordinis cum Deo author est, nec vult in  
 antiquum chaos distincta rerum dominia relabi.  
 Ex hoc fundamento nunc sequi videtur: Princi-  
 pem in alieno territorio existentem non gaudere  
 jure suo, sed esse alterius Principis subditum, saltem  
 ratione loci, uti defendit Elisabetha in causa Mariæ  
 Stuartæ ap. *Cambdenum in annalibus anno 1586.*  
 posse ob crimina graviora sive in subditos Principis  
 commissa ut adulterium, homicidium &c. sive vel  
 maximè in statum accusari, conveniri apud Prin-  
 cipem loci, imò & puniri. *V. les derniers troubles  
 de France non longè ab initio, ubi Nobilis anglus con-  
 tra Gallum id defendit.* Allegatur in hanc rem  
 vulgatum illud Jurisprudendum: Delinquens in a-  
 lieno territorio & ibi repertus punitur in loco deli-  
 cti nulla habita ratione dignitatis, honoris aut privi-  
 legii, quod confirmant exempla Roberti Regis Si-  
 ciliæ, Bernardi Regis Italiæ, Conradini, Elisabethæ  
 Reginae Hungariæ, Joannæ Neapolitanæ, & in an-  
 tiqua historia Regis Dejotari, pro quo Cicero a-  
 gens, non iniquum dicit Regem capitis esse reum,  
 etsi inusitatum. Procedit insuper felix ad Principem  
 à Legatis ob rationis paritatem argumentatio. Hi  
 etsi aliàs ex persona mittentis tuti sint ac inviolabi-  
 les, imò (*quod ex Cambdeni histor. p. 477. notamus*)  
 ob



ob legationis necessitatem tutiores ipsis principibus, nihilominus tenentur & obligantur in loco delicti ob graviora flagitia, uti non malè judicat *Conzen lib. 7. polit. cap. 36. §. 5.* proindeque non immeritò raram in barbaro rege contra petulantem Cimbrorum legatum moderationem miratur Olearius in *Itin. Pers.* & quid Angli ex mandato Elisabethæ dixerint Legato Gallix complici in causa peccantis in majestatem *Cambdenus l. citat. p. 485.* memorat, nempe jussus est cavere, ne in majestatem deinceps peccaret, & ne officii Legati clementiæque Reginae oblivisceretur, quæ mali Legati poenâ bonos luere nolit, seque noxæ non eximi, licet impunè ferat.

Amplius pro confesso accipitur: Principem territorii in advenæ Principis domesticos jus habere eosque ob delicta punire posse, quod de jure esset impossibile, si integram retineret in suos potestatem, hoc enim ipso maneret competens suorum judex, à cujus judicio ad alienum non possent extrahi. Et quanquam Angli conquesti sint Domesticorum Legati suisimò & ipsius Legati arculas ab Hispanis excuti, non videtur tamen id absque jure fieri, cum principi incumbat regni conservatio, quæ non rarò periclitatur, nisi eiusmodi providentia adhibeatur. V. *Cambdenum in aliquoties citatis Elisabethæ annalibus.*

B 3

Auget



Auget denique dubium, quòd, si princeps advena libero gauderet Jurisdictionis in suos exercitio, dicendum foret, posse ipsum aut ejus Legatum subditos ob crimina profugos ibidemque morantes propria auctoritate intercipere, atque e regno abductos punire. Quod tamen non permitti, imò nec persequi profugum in alterius ditionem principi integrum esse manifesto experientiae testimonio convincimur. Vnde enim nisi hinc tam acres in aula Romana exorti sunt animorum motus, quando Legatus Regis Hispaniae curaverat principem di fanz Neapoli ob sermones in majestatem habitos Romam profugum ibidem intercipi, ac Neapolim abduci, ubi decollatus est; qui motus in acerbiora forsan fuissent prorupturi, nisi melleæ Barberini apes edulcorassent. *V. Galeazo Gualdo priorato part. 2. lib. 3. delle Guerre prope finem.*

*Decidendi.*

Verum enim verò nos insuper habitis omnibus hisce dubitandi rationibus pro Regia stamus sententia, & quam nullo jure improbabilem censemus, Affirmativam quaestionis decisionem per sequentia amplectimur. Dicimus

*Primò* : Absolutus Princeps justè petito atque impetrato à principe loci transitu in alterius territorio existens non fit nec est ejus subditus. Quare? quia in ratione formali subditi includitur obedientia,





tia, quæ hic locum non invenit, cum paratus ad ser-  
 viendum desit animus. Deinde quis cum subdito  
 tanquam cum pari ageret, quod tamen fit cum ejus-  
 modi advena Principe, ut ex Caroli V. per Galliam  
 transitu videre est. *V. Matthieu dans l'hist. des*  
*guerres entre les maisons de France & Espagne.*  
 Denique omnes exercet principem absolutum de-  
 centes actiones, mittit legatos, pangit foedera, &c.  
 cur ergo turbabitur in legitimæ jurisdictionis exer-  
 citio?

*Secundò.* Princeps absolutus in alterius territorio  
 peccans propriè non punitur: Ratio est, quia pœna  
 præsupponit violationem Legis, violatio Legis obli-  
 gationem, obligatio subditum. Unde vanum est di-  
 cere, talem principem posse peccare in majestatem,  
 & ob id ex lege puniri; Casu enim hoc dato hostis  
 est Principis, adeoque jure Belli cum ipso, jure ho-  
 stis in hostem, non jure Principis in subditos expe-  
 riendum est; & hinc constat illam judiciorum o-  
 stentationem tantum in speciem fieri, & quidem ut  
 orbi crimen patefcat.

*Tertiò.* Princeps talis absolutus ad exercitiũ juris-  
 dictionis suæ non indiget territorii proprietate (ne-  
 que enim jurisdictio, uti in magisterio militum ap-  
 paret, semper territorium præsupponit) sed suffi-  
 cit illum qua talem, i.e. parem separatæ societatis  
 Domi-



Dominum à Principe loci in suum territorium admissum esse; quo facto certè privandus non est iure, cuius vitalis est, supremo nimirum in domesticos suos & peregrinantis quasi civitatis membra imperio.

*Quartò.* Audemus dicere, quod paradoxum quodammodo videri potest, vero tamen non est inconueniens: Principem absolutum, quando suis in alieno territorio jus dicit, eo ipso territorii sui terminos non extravagari. Non enim in paradoxo hoc sensu vel mœnibus vel finibus agrorum, vel lapidibus terræ glebam distinguentibus Territorium metimur, sed cum civitate, cum Republica jubemus esse synonymum. In Atheniensibus, cum se classi marinæ crederent, in S.P.Q.R. urbe ob adventum Cæsaris deserta, in coloniis priusquam sedes fixerint; in profugis Trojanis; albanis pastoribus; Mahumetanorum ac Saracenorum principiis; Gothorum, Hunnorum, Vandalorum copiis etiam ante confirmata imperia ac sedes, uti Rempublicam ac civitatem, ita quoque territorium observamus, extra quod, id est, extra cœtum hominum civiliter ita confociatorum jus dicentis autoritas se non extendebat. Ita quoque jus militare, quod non cum loco Dominum mutat, habet tamen suum vel castrense vel stationarium vel præsidiarium territorium, cuius  
jus



1309  
P. 17

ius fines quando egreditur, vim suam contemptus periculo exponit. Hæc fortè non usque adeò ineptè peregrinanti cum sua civitate Principi possent applicari, sed nolumus hoc nisi obiter dictum, intellecturi porrò Territorii vocabulum vulgariter, ut idem, qui est quæstionis, sit etiam decisionis sensus.

*Quintò.* Domesticus Principis peregrinantis est in societate ejus, quæ quasi separatam, uti dictum, constituit rempublicam, adeoque non obligatur legibus regni alterius, cum obligatio fundetur in esse subditum. Quando verò peccat, tunc vel peccat in loci Principem ejusque subditos, aut in Dominum suum. Sin illud; ex jure rigido nonnunquam dijudicatio facti, seu potius hostilis vindicta læsum loci Principem spectabit, quando sc. proprii Principis judicium cessat. Cessat autem in fure, latrone, & s. puniendis eo in loco, cujus incolæ vexarunt. Præterea grave quandoque fuerit læso prosequi advenam Principem non diu uno in loco moraturum; grave fuerit longi itineris ac magnorum sumptuum discrimen subire, dubiamque judiciorum fortunam præstolari; eluderetur etiam longisque fatigaretur judiciis, præsertim si lædens principi gratus sit, & quæ sunt similia. In Legatis non raro hic casus contingit, dum vel ipsi, vel eorum do-

C

mestici



70  
170  
18  
18  
mestici talia flagitia committunt; ubi tamen non-  
nulli suadent melius facturum principem, si per de-  
putatos utrinque commissarios expetito etiam Aca-  
demiarum iudicio res expediatur. *Contzen. l. supra.*  
c. §. 6.

Sin hoc; (quale nostri examinis exemplum est)  
omnino plenissima criminis cognitio ad proprium  
principem ceu competentem iudicem pertinebit.  
Delinquens enim talis est socius separati status æ-  
qualis, intra cuius fines perpetratum delictum non  
potest extra puniri; nisi forte aliud quoddam inter-  
veniens hoc suadere videatur; Nam si reus crimine  
peracto fugiat, ac ab altero Principe capiatur, si cri-  
men manifestum sit, & à læso Principe iustitia fieri  
non possit, consilium Davidis cædem Saulis & Is-  
bofetbi ulciscantis imitationi se facile commenda-  
verit.

*Sextò.* Videant ergò illi, qui læso à subdito ad-  
venæ litis contestationem in iudicio alterius Princi-  
pis suadent, quanto discrimini Principis tum secu-  
ritatem tum dignitatem exponant. *Securitatem;*  
quia malè affecti erga suum Principem domestici  
hoc ipso captarent occasionem vindictæ, & aper-  
tiori odio prosequerentur non satis tutam sine viri-  
bus Majestatem. *Dignitatem:* quid enim indignius  
excogitari potest, quam absolutum Principem co-  
ram



ram Pari suo vel etiam inferiori in contradictorio  
 iudicio orare causam, & eum habere aduersarium,  
 cui nihil Dii præter obsequii gloriam reliquerunt.  
 Sublatâ autem Principis auctoritate Spiritus ejus vi-  
 talis extinctus est; hæc cum sit character coelitus  
 animis regnantium impressus, & gemella cum sce-  
 ptris nascatur, prudentis Principis est ejus cavere  
 periculum. Vt taceam nunc redundaturam ex cri-  
 minum sæpe secretorum revelatione in principem  
 infamiam, in statum perniciem, quæ tamen per ne-  
 cessariam consequentiam ita evenirent, si princeps  
 probationes contra reum in alieno iudicio induce-  
 re teneretur.

*Septimò.* Non tamen concedimus advenæ Prin-  
 cipi alios ex subditis suis non domesticos in alieno  
 territorio puniendi licentiam, quia præsumptio est  
 eos in alterius societate tum vivere, & more omnium  
 peregrinantium privatorum ejus *p.t.* agnoscere im-  
 perium, cujus tutelâ fruuntur. Ita quoque non dis-  
 sentimus ab illis, qui domesticum fugientem per-  
 sequi vetant, ob concurrentem nim. publicam &  
 regnantis majestati (injurias semper, uti Cambde-  
 nus ait, gravius intelligenti) suspectam violentiam.  
 Hæc enim uti solent, ita debent ac possunt per ma-  
 num alterius Principis fieri, reum sine dubio legiti-  
 mè quæsitum naturali suo Domino extradituri.



Ultimò quod restat, Affirmativam quæstionis decisionem duplicis cautionis appendice limitamus; quarum prima Principem, *ne temerè*: altera, *ut clam* in hoc Jurisdictionis, sive meri (de quo præcipuè agitur) imperii exercitio versetur, moneat.

Præsupponimus enim urgentem necessitatis præsentiam, neque locum concedimus controverso huic & invidiæ subjectissimo remedio, quamdiu ad in controversum aditus patet. Dissimuletur, si possibile est, reatus scientia, toleretur reus, & fictis sopitus blanditiis in proprium cum Domino poenæ suæ obviam iturus redeat territorium. Necessitate huic remedio reclamante, vel captus vel, si hoc consultius, liber sub specie honoris in regnum remittatur, mortem in olla secum ferens, & Vriani literis (quid enim prohibet, quo minus ut bona malum, ita mala bonum habeat imitatore? ) ad mortis commendationem instructissimus. Quod si verò nec hunc procedendi modum anxia de supremæ legis periculo probat necessitas, age, assistimus armato in poenam carnifici, expediantur virgæ, feriatum vel extra pomerium reus, modò *clam*. Et hoc alterum est ex primo oriundum cautionis necessariæ membrum, cujus tam utilis est & frequens observatio, ut non rarò in proprio territorio ratio status jubeat cædem clam perfici, quoties ex publico supplicio infamiam



famiam vel aliud quoddam grande incommodum prævidet. In alieno autem ad pœnæ essentiam pertinere secretum putamus 1. quia publicum supplicium requirit loci hîc desideratam proprietatem. 2. publicum supplicium instituitur ad exemplarem reliquorum subditorum disciplinam, quæ non potest, nisi à Principe loci exerceri gravissimè sanè laturo, si quis alius in regno suo tale quid vel cogitando auderet in mente exsequi. Secretò igitur juxta ac summarie perficere cædem oportet, nec observare consuetam aliàs judiciorum methodû, cum in principis manu sit, modò constet de crimine, præscribere processûs formam. Imò etsi de crimine non satis constet, si tamè periculum sit in mora, valida suspicio ad præveniendû in sceleris conatu reum sufficit.

Quæ omnia cum per rationes nostra quidem sententia invincibiles vera sint, quid restat, nisi ut meritam victrici Reginae porrigamus laurum, & absolutis majestatibus de suo per illam in peregrinis locis tam masculè stabilito tribunali gratulemur. Quid restat, inquam, Reginae post assertam summorum Principum causam?

*Ut defendat suam: respondet nescio quis; negatq; se videre in abdicata Regina talè absolute Majestatis, qualem ad exculpandû extra territorialis Jurisdictionis exercitiû requirimus characterè.*

11. Specialis  
concernens  
Personam  
Exemplarem;

C 3

Est



qua

Est hæc controversia statûs perplexa satis & difficilis non minûs quàm periculosa decisionis. Jacienda tamen alea, videndûmque, an æque firmo tubicine factum ac dictum regium nitatur. Sufficiet ad scopum nostrum breviter ac simpliciter suspenso ab eruditorum sententiis iudicio retulisse, quid impedire, quid item expedire videatur illustris exempli in persona Reginae justitiam.

accusatur

Impedimento est unus & omnis, sed maximus absolutæ Majestatis defectus. Hoc caractere amisso nihil salvi Regibus manet præter titulum nonnunquam & honorem reverentiæ, qualem v. g. in Jure nostro Civili liberi emancipati, aut servi manumissi debent iis, quorum in potestate fuerunt. Titulus verò iste & umbratilis reverentiæ cultus jucundæ tantum Majestatis memoriæ (quæ non nisi præteritorum est) inserviunt, & in privatorum ordinem redactis sæpe numero oneri magis quàm honori sunt. Certè in iis hoc verum est, qui non sponte majestatis sede cedunt, sed vel justa vi, vel violentâ injustitiâ coronæ jacturam patiuntur: quale exemplum est Childerici Francorum Regis, cui ademit coronam Pipinus, ut daret alteram per manû Tonforis. In sponte cedentibus licet erectior vultus incurvata genua, & quasi tacito quodam retentionis jure debitos honorum titulos exposcat, nihilo tamen minûs



23

minùs pedisse qua Majestatis jura deficiunt, cum eadem sit non retinendi intentio, licet modus depotionis variet. Adeoque quotquot privato istiusmodi Principi ad splendidiorē majestatis umbram ministeriis quoque non inhonorificis famulantur, iis dominicum saltem ejus politico subjectum, nec inter Christianos ad mortis terrorem se extendens imperium agnoscendum venit. Hinc quàm vereor, ne Regina in communi causa superior, cadat sua, & vix etiam cum excusatur, excusetur. Defendere enim eam, qua talem, temerarium nimis, quia impossibile est sine defensionis præsidio, quod cum abdicato absolutæ majestatis caractere exspiravit. Intellige qua talem, qualis nim. in rei veritate tunc temporis fuit, quoniam non possumus, quomodo cunq; ejus personam absque figmento considerare, aliam quàm privatam videre. Quis enim subsistet relatio diruto fundamento? Quid vero aliud est majestas sive regalis dignitas, quàm relatio quædam principis fundata in jure imperandi; quo jure cum cesserit Regina, sublatam eo ipso relationem frustra non minus allegat, ac ipsum jus, cuius post abdicationem semel factam nullus amplius est usus.

Hactenus igitur Regina rea est illegitimæ actionis, & privatam Dominam indecentis in ministrum suum imperii damnas.

At



*Defenditur.*

At verò sunt, qui eapropter eam nolunt erubescere, nihil existimantes pulchrius, authore Seneca Conf. ad Marc. cap. 4. in fastigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere. Defendunt itaque illam argumento intentionis suæ, quam dicunt in abdicatione fuisse retinere splendorem regium ac in domesticos potestatem, quod probant, tum ex eo quòd utitur jure mittendi Legatos Principibus absolutis proprio; tum quòd habet suos nonnullibi residentes; quod non fieret, si non gauderet ampliùs dignitate regali. Sed num talis intentio per omnia in abdicante possit esse efficax, vel saltem cùm facti sit, annon fortiore desideret probationem, quàm quæ fit per Legatos & Residentes ἀναλόγως ita dictos, meritò quis dubitaverit. Nos hanc litem tanquam altioris indaginis nostram non facimus, ut tamen proclivior ad defendendum quàm accusandum animum testemur, coronidis loco exprimemus mentem nostram, & per modum Excusationis Regiam à culpa si non in totum, saltem in tantum immunem præstabimus.

Quod ut fiat, duplici necesse est oculo Illam de Domestico pœnas sumentem intueamur; altero veritatis: altero opinionis. Priori nihil non culpandum occurrit in privata, qualem tunc se  
exhi-



exhibet, cuius ceu paris in parem cui probabitur  
 Jurisdictio? Sed claude oculum veritatis curiosio-  
 rem, & contemplare eam in sua utut erronea, ta-  
 men felici opinione. Nihil ibi apparebit majesta-  
 te minus, & per consequentiam nihil injusti, dum-  
 modo magnitudini exempli condonetur fallax ma-  
 jestatis opinio, & in propinquo vix desertæ glo-  
 riæ perquam facilis error. Verbo: Peccatum  
 Reginae vulgare est & hominibus usitatissimum.  
 Speravit enim amplius de facultatibus suis, quam  
 revera in iis fuit; quod ipsum cum per §. 3. *Instit.*  
*quib. ex causis manum.* privatis quorumcunque  
 actibus legis favorem conciliet, & passim in Jure  
 dicatur opinio sæpe veritati prævalere, cur tam il-  
 lustris Persona hîc exlex erit, & juris beneficii ad  
 erroris sui excusationem non fruetur?

Quin imò valeat quantum valere potest, ex-  
 emplum hujus etiam in persona Reginae autoritas, *Epilogus*  
 deferaturque venerabili (ad quod ipse Relationis  
 author provocat) Regis Hospitis silentio, qui ni-  
 si eminentiorem privatam fortunam in abdicata Re-  
 gina vel eo quo diximus modo observasset, nec po-  
 tuisse nec voluisse præsumendus est in grande Co-  
 ronarum præjudicium notabili huic & majesta-  
 tem spiranti facinori tacendo assentiri. De cæte-  
 ro, quascunque iniquitatis maculas in hoc facto

D moro-



1518  
26  
morosior censura observat, eas memorabile illud  
Taciti abstergat : *Habet aliquid ex iniquo omne  
magnum.* Magnum est quod fecit Regina : Fe-  
cit, imo effecit, ut illustris hujus exempli meritis  
non parum roboris sui ac firmitudinis debeat  
PEREGRINANTIS PRINCIPIS  
TRIBUNAL.

Tantum.





ULB Halle  
006 301 096

3



V. 17











682 Pos.  
1675, 1.  
6/

TRIBUNAL PRINCIPIS  
PEREGRINANTIS,

*Sive*  
Ex Illustris Facti specie  
Disputata Juris Quæstio:  
*An absolute Majestatis character*  
*Possessori suo etiam in alieno Territorio*  
*liberum Jurisdictionis in suos exercitium*  
*præstet?*

Cujus in sequenti Schemate explicatam.  
Affirmativam  
(*Quod bene veritat.*)

Sub PRÆSIDIO  
DN. IOHANNIS TESMARI,

in alma Cattorum Antecessoris,  
*Pro virili tuebitur*

JOHANNES ALERS,  
BREMENSIS, A.  
*Ad d. XXIII. Januarii, h. lq. consuetis.*



MARBURGI CATTORUM,  
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.  
Anno M.DC.LXXV.

